



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0544

Martedì 19.09.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CONGRESSO MISSIONARIO DELLE FILIPPINE

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CONGRESSO
MISSIONARIO DELLE FILIPPINE

In data 8 luglio 2000, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. John Baptist Cheng-chung, Vescovo di Hong Kong, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive del Congresso Missionario Nazionale delle Filippine, in programma a Cebu nei giorni 27 settembre - 1° ottobre 2000.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Oscar Villamor, del clero dell'Arcidiocesi di Cebu, Protonotario Apostolico;
- Rev.do Mons. Cayetano Gelbolingo, dell'Arcidiocesi di Cebu, Protonotario Apostolico.

Pubblichiamo di seguito la Lettera di Giovanni Paolo II al Suo Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

IOANNI BAPTISTAE S.R.E. Cardinali WU CHENG-CHUNG

Episcopo Sciamchiamensi

Saeculorum decursu Ecclesia nullo tempore Christi Evangelium nuntiare destitit secundum divinum praeceptum salutarem nuntiandi veritatem usque ad ultimum terrae. Nec defuerunt Evangelii praecones qui ad hoc mandatum exsequendum dissitas quoque in regiones sese contulerint, quas inter exstant Philippinae Insulae. Harum incolae, aliquot inde a saeculis, ad confessionem fidei allecti, ad baptismum dispositi et Christo incorporati, per caritatem in Illum usque ad plenitudinem crescere pergunt (cfr *Lumen gentium*, 17).

Ad rem quod attinet, summo cum gaudio novimus Philippinam Episcoporum Conferentiam, unanimi ex

consensu, post triennale iter praeparationis ad Magnum Iubilaeum, Missionalem Congressum totius nationis currenti anno celebrare cupere. Conferentia eadem, per Episcopalem pro Missionibus Commissionem, rei favente Venerabili Fratre Antonio Franco in Insulis Philippinis Nuntio Apostolico, Nobis optatum exhibuit, ut sacrum constitueremus Praesulem, qui partes Nostras ibidem convenienter sustineret et sacris ritibus aliisque celebritatibus praeesset. Nos quidem ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem admovemus, quem idoneum censemus ad hoc implendum ministerium. Itaque, qua Nostra est erga te benevolentia, hasce per Litteras, te **MISSUM EXTRAORDINARIUM** renuntiamus et constituimus ut Nostro praesideas nomine Missionali Insularum Philippinarum Congressui, qui Cebuana in urbe celebrabitur hoc Iubilari Anno inter dies XXVII mensis Septembris et diem I mensis Octobris. Cunctis illic significabis salutationem et Nostram per spiritum praesentiam Nostramque in Ecclesiam quae est in Insulis Philippinis dilectionem.

Peculiarem in modum de novae evangelizationis momento sermonem institues; christianas familias edocebis de necessitate et honore colendi vocationes missionales inter proprios filios et filias nec non de instantia orandi pro missionibus (cfr AG 39); mirum ostendes exemplum Venerabilis Fratris Gulielmi Finnemann, qui, pro Christi nomine propagando, ista in terra heroum in modum martyris occubuit.

Deum rogantes, ut haec sollemnia in vitam omnium singulorumque fidelium salubriter cedant, tibi, Venerabilis Frater Noster, universisque Congressum participantibus Apostolicam Benedictionem volentes impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVIII mensis Augusti, anno Magni Iubilaei MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01884-07.02] [Testo originale: Latino]
